

*lapidarium* Marbodi. Nos autem duplex opus sedulo contulimus, et invenimus poema codicis Turon metrop. non esse elegiacum, sed hexametrum, omninoque concors cum opere Marbodi, edito a Dom. Anton. Beaugendre. Noster, autem codex, quem ignoravit editor Benedictinus, est optimæ notæ, multoque amplior codice Mojoretano. quo ille usus est. Sic in capite 30 *De Gerachite* duos reperimus versiculos nondum evulgatos. In capite autem 19 *De magnete* mendose scribit. D. Beaugendre :

*Est cui naturæ vicinum tollere ferrum,*

dum in ms. codice recte legitur : *Et vi naturæ.*

Ad cap. 1 *De adamante* notam protulimus ex Theophilo monacho, qua facile quædam verba ambigua aut forte obscuriora facile explanantur.

Denique, post *Lapidarium* Marbodi, tres dedimus chartas, quarum prior ex Historia ms. Majoris Monasterii prope Turones, auctore Dom. Edm. Martenio, tom. II, p. 58, depromitur, posterior vero ex Schedis Dom. Moricii tom. I, p. 516, *Histor. Britannia*; tertiam, quam nonnisi post absolutam Marbodi opusculorum editionem habuit D. Beaugendre, notis D. Loyauté subjecerat p. 59.

I. Marbodus episcopus Redonensis Majori Monasterio donat ecclesiam Aienciaci et dimidium presbyteratus ecclesiæ Martiniaci.

II. Marbodi Redonensis episcopi epistola pro monasterio S. Sergii Andegavensis.

III. Marbodi Redonensis episcopi charta qua ecclesiam S. Mariæ Vitreiensem, ejectis qui ibi degebant, inordinatis canonicis, quorum loco monachos Benedictinos instituit, monachis S. Melanii cum pluribus aliis ecclesiis et possessionibus concedit.

Turonibus, die 13 Septembr. in festo S. Lidorii, Turonensis episcopi  
J.-J. BOURASSÉ, can. Eccl. Metrop. Turon.

## PRÆFATIO D. BEAUGENDRE.

1371-1378 Equum est, benevole lector, ut de hac nova quam exhibemus Marbodi Redonensis episcopi editione tibi rationem reddamus. Et quidem nostri primo fuerat instituti sola venerabilis Hildeberti opera suæ illi luci, quam olim potita fuerant, quantum vires et media suppetent, emendatiora reddere; nec ultra progredi suadebant et ætatis provecioris incommoda, et manuscriptorum Marbodi raritas; et, ut ingenue fatear, ignoscendum satis octogenario seni requiei tantillæ ad alterius viæ præparationem dicandæ desiderium. Verum cum in expendendis Hildeberti nostri ad manuscriptos codices supra quadraginta lucubrationibus nonnullas in quibusdam illorum deprehendimus intermixtas, quæ Marbodi essent; et vice versa, cum opuscula Marbodi disculere, et ab Hildebertinis discernere nobis sæpius necessitas incubuisset, sensim sine sensu tot nobis obligerunt, ut ex una parte nonnisi admodum ægre ferremus si ea incuria nostra reipublicæ litterariæ decissent, et ex altera nobis aliqua spes oborta fuerit non ingratum forte fore pluribus litteratis, si vel e paucis quos nobis reperire contigit Marbodi manuscriptis, vel e collectione eorum ejus opusculorum, quæ passim a variis auctoribus edita fuerant, accuratorem aliquatenus et ampliorem editionem proferre conaremur, quam quæ olim e Redonensi prelo veteribus characteribus prodierat, et cujus etiam exemplaria rarissima jam, ac pene nulla reperiebantur.

Et vero consilium hoc nostrum non solum non improbavere viri inter litteratos primatum obtinentes, verum ad illud executioni mandatum benevolis cohortationibus plurimum accenderunt. Horum sane præcipuus fuit, qui tot ab annis regis utriusque Academiæ, ad orbis stuporem, præcipuus præest doctissimus et tot titulis illustrissimus 1379 1380 abbas Bignonius, qui dum ingenua sibi comitate, et hæreditaria ab avia in studiosos omnes benevolentia, nostros ad edenda Hildeberti opera conatus a nobis acciperet, et acceptos habere dignaretur, nostrum etiam de evulgandis Marbodi opusculis institutum adeo benigne gratulatus est, ut non modicos nobis, vel trepidantibus, ad id aggrediendum animos adderet. Qua potuimus ergo diligentia, de Dei auxilio confisi, necnon amicorum subsidio, quos nobis manum adjutricem non denegatos speravimus, ad perquirenda quaquaversus, sive edita, sive inedita Marbodi opera, nos accinximus.

Et editorum quidem simul collectorum exemplaria adeo rara deprehendimus, ut (quod mirum) in ipsa urbe Redonensi, unde primo prodierant, nec unum qui tem invenire potuerimus, et e bibliothecis ipsis Parisiensibus, vel etiam instructionibus quas scrutati sumus, unicum editionis præfate Redonensis, in bibliotheca collegii Mazarinæi reperimus, quod nobis eruditissimus ejus præfectus D. Collau, doctor Sorbonicus, perhumaniter commodavit, in quo nonnisi metrica, et sex epistolæ sub finem continentur; quæ quidem omnia ad fidem quinque manuscriptorum, quos vix e variis locis excepimus, recensere nobis curæ fuit. In nullo tamen ex ipsis omnia continebantur Marbodi opuscula, sed quædam tantum in uno, quædam in altero. Unde sane in eorum recensione non modicus nobis incubuit labor, dum ad textus emendationem sæpius unum volvere et revolvere compulsi sumus. Paucas tamen, aut certe vix cujusdam momenti textus variationes in illis advertimus, quarum præcipue fuerunt eas quæ in libello *De ornamentis verborum* repertæ sunt;

quem libellum a Morbodo ad discipulorum eruditionem compositum fuisse probabile est, dum Andegavi publice profiteretur eloquentiam, et longe antequam inauguratus fuisset episcopus. In exemplari porro Redonensi sola præceptorum exempla metricè proferebantur, non ipsa præcepta quæ e manuscriptis Andegavensi, Gemmeticensi, Beccensi et Turonensi, qui nobis ex insigni Sancti Galiani ecclesia ultimus obligit, supplere curavimus. Hunc autem nobis libenter commodare dignatus est cl. D. Davannes, doctor Sorbonicus, ejusdem metropoleos canonicus et bibliothecarius, vir bonis litteris promovendis natus, mediante nostro D. Edmundo Marteno, ex quo nonnulla non contemnenda collegimus, quæ in aliis manuscriptis non videramus, verbi gratia epitaphium magistri Lanfranci, epitaphium Anselmi Laudunensis magistri, versus Sibyllæ de die Judicii, et alia plura et proluxa, quæ hucusque editis, et aliis e manuscriptis erulis, superaddidimus.

Inter cætera autem Marbodi opuscula, magno semper apud litteratos in pretio fuit liber De sexaginta gemnis seu lapillis, qui cum cæteris in editione Redonensi sub ejus nomine prodiit anno 1524, et quem paulo post, anno scilicet 1531, Pictorius Willigen-is suis scholiis Friburgi editis, et anno 1539 Alardus Amstelodamensis suis commentariis illustravit. Hunc vero in manuscriptis, quos nobis videre licuit, ita uniformiter Marbodo Andegavensi episcopo tributum vidimus, ut non mediocriter mirati simus eruditissimum Morerium alium Marbodum, nec episcopum, nec Andegavensem, sed civem Cenomanensem libri illius auctorem designasse.

Cum vero id sine probatione assererit, manuscriptorum fidei, et veteri editioni nobis adhærendum fuisse duximus, præsertim vero manuscripto insigni Sancti Victoris, cœvo aut fere cœvo, qui illum diserte episcopo Andegavensi tribuit, et ubi non solum Latinus textus legitur, sed etiam ejus Gallica interpretatio, ut plurimum quasi de versus ad versus, sed illo antiquo Gallico idiomate quod tunc apud majores nostros erat in usu, et cui etiam subjicitur ejusdem Marbodi ingeniosa ejusque lapidis et virtutis ejus ad mores applicatio, quam in hoc solo Victorino manuscripto, nec usquam in ullo alio vidimus. Et quidem hujus interpretationis primos tantum versus, quasi ad illius ævi idiomatis specimen edere nobis mens fuerat, verum plurium antiquitatis studiosorum consilio moti, illam ex integro e regione representandam cen-uimus, 1361-1369 quam ipsi velut authenticum antiquæ, licet obsoletæ, locutionis monumentum posteritati consignandum existimaverunt.

Supradictis etiam addidimus nonnullas sanctorum Vitas a Marbodo prosa editas, et a variis auctoribus vulgatas, ex quibus solers lector liquido perspicere poterit ipsum non minus orationis solutæ quam strictæ peritum, nec illi immerito tributum *famosi et nominatissimi magistri* titulum, quo illum encyclica Andegavorum monachorum de ejus obitu epistola decoravit.

Qualis vero et quantus fuerit Marbodus, e pluribus præcipue diplomatibus in archivo monasterii Sancti Albini Andegavensis asservatis liquet, quorum copiam nobis amplam fecit eruditus noster R. P. D. Petrus Cosson, ejusdem monasterii subprior, post diligentissimam et exactissimam illorum discussionem. Ex his autem evincitur ipsum Marbodum in Andegavensi comitatu, vel etiam in ipsa urbe Andegavensi clara ortum, et jam tunc numerosa familia. Quod patet ex antiquo diplomate quo Robertus Pelliciarus, dictus etiam in alio diplomate Paramentarius, Marbodi pater, præsentem uxorem suam, cum duobus filiis suis Hugone et Salomone, cum pluribus sororibus suis, iisque annuentibus, cedit monachis Sancti Albini quemdam decensum aquæ, sub certis conditionibus; cui cessionem cum Marbodus natus minor non interfuisset, major factus, illam ratam habet. Ejus porro familiæ nobilitatem innuere videtur Ulgerius episcopus Andegavensis, cum in ejus elogio funebri, quod infra dabimus, asserit quod.

*Natus erat, quorum decus erat Andegavorum.*

Licet autem ex ipso Marbodo, qui a juvenilibus annis se Deo et Ecclesiæ mancipavit, ejus familiæ non fuerit orta progenies, nil obstat quin e fratribus ejus Hugone et Salomone laicis plures natos liberos opinemur, e quibus eorum propagata fuerit numerosa familia, quæ ob insignem Marbodi famam, Marbodorum potius quam Pelliciariorum a fratribus forte obscuris nomine claruit.

Et certe si nos non fefellit conjectura, qua epistolam 35 lib. II epistolarum Hildeberti ab ipso coniecimus directam fuisse Marbodo, non quidem episcopo, sed tunc tantum canonico (qua illum dignitate ornatum asserunt fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* ad Eusebium, quod et alii) liquebit jam tunc Marbodi familiam fuisse nominatissimam; siquidem, ut in illa epistola testatur Hildebertus, canonicis Andegavensibus, « jam incubuerat timor Marbodi et suorum, quibus et ejus suspecta erat universitas parentelæ. » De qua non improbabile videtur exortam per avos et proavos fuisse illustrissimam Marbodorum familiam, vulgo dictam *de Marbœuf*, qui nunc etiam supremos in suprema Armoricæ curia magistratus summa cum integritate exercent, regis obsequio semper addictissimi ministri, patriæ ferventissimi, etiam sæpe ad fortunarum periculum, patroni. Nec huic Marbodiæ familiæ claritati repugnat publica, qua claruit Andegavis Marbodus eloquentiæ professio, cum primoribus etiam viris in pretio semper fuerit ars illa, inter liberales artes potissima, qua frequentissime contingit, ut ad flectendos populorum et civium animos, cederent arma togæ, nihilque reges ipsi et principes viri ad sedandos vulgi sine sanguine tumultus, et compescendas seditionis efficacius, aut felicius adhiberent, quam eloquentiæ mite robur et dulce lenocinium (53).

Hinc sane et ex illa, quam sibi Marbodus conciliaverat optime et apte dicendi facultate celebri fama, ad scholarum Ecclesiæ Andegavensis magisterium evehctus est, et qui secundum Bardi-

(53) De Marbodorum familia vide etiam quæ ad notas D. Loyauté observavit Beaugendre, supra, col. 125.

gneum et Hiretam, rerum Andegavensium historiographos, publicis Andegavensibus scholis dederat initium; in modum, ut aiunt, cujusdam Universitatis, sacris etiam Ecclesie scholis præesse dignus est habitus. Andegavensis porro foundationem Universitatis a Marbodo inuere videtur Ulgerius episcopus Andegavensis, dum in ejus Epicedio sic ait:

**1383-1384** *Transtulit huc studium, transtulit ingenium.*

Hoc autem scholastici munere egregie functum fuisse per totos quatuordecim annos, scilicet ab an. 1067 ad an. 1801, patet e duobus diplomatibus insignis ecclesie cathedralis Sancti Mauricii Andegavensis (54), in quibus expresse dicitur « scholasticus Ecclesie Andegavensis, » cujus postea archidiaconatum est consecutus; in qua dignitate e variis etiam ejusdem ecclesie diplomatibus constat ipsum ita præclare se gessisse sub tribus præsulibus Andegavensibus, Eusebio scilicet, Godefrido I et Godefrido II, ut tandem exigentibus meritis, et jubente Urbano II summo pontifice, in ipso Turonensi concilio an. 1096, ut ait Ulgerius in ejus Epicedio:

*Hic præsul factus; nolens licet atque coactus,*

et solemniter ritu consecratus fuerit Ecclesie Redonensis episcopus. Hanc vero cum per annos viginti et octo pie semper et sapientissime rexisset, tandem ad cælestem patriam anhelans, abdicatione sponte pontificatu, in monasterium S. Albini Andegavensis, ubi monachum sub Regula S. Benedicti professus, aliquandiu regulariter vixit, et plenus dierum et bonorum operum sanctissime decessit III Idus Septembris an. 1123, annos natus octoginta circiter et octo, ut patet ex epistola congregationis Beati Albini Andegavorum episcopi, seu monachorum in monasterio ejus ibidem sub Regula S. Benedicti Deo militantium, qua universis Ecclesie filiis sanctissimum Marbodi obitum denuntiant. Quam quidem epistolam, velut sanctitatis ejus monumentum ære perennius, ad studiosi lectoris ædificationem, hic ex integro subjiciendam duximus.

*Epistola encyclica monachorum et conventus Sancti Albini Andegavensis de obitu Marbodi episcopi Redonensis, ac deinde monachi S. Albini (55).*

« Universis unius sacrosanctæ Ecclesie filiis, humilis congregatio Beati Albini Andegavorum episcopi plenam de hoste victoriam, et de victoria coronam.

« Apostolica nos informat auctoritas, ut pro invicem orantes, alter alterius onera portemus, et sic adimpleamus legem Christi. Legem igitur Christi nos servi Christi pia sollicitudine adimplere satagentes, denuntiamus vobis obitum domni Marbodi venerabilis episcopi, semper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, morum honestate præclari, litterarum eruditione doctissimi; cujus sermo sale semper conditus erat; et ex ore illius omni dulcior melle fluebat oratio. Et quamvis eodem tempore variis studiis tota Gallia resonaret, ipse tamen oratorum rex, Gallicanæ arcem eloquentiæ obtinebat. Tertio siquidem Idus Septembris, anno Domini millesimo centesimo vigesimo tertio, infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens a sæculo, vivens in Christo, sua nos viduavit præsentia, et amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque efficacissime claruit, electus a revendissimo papa Urbano in Turonensi concilio sanctæ sedis Ecclesie, Redonensis Ecclesie, annuente Domino, pontifex ordinatus est. Quam ipse dignitatem, imo onus, accinctus gladio Spiritus sancti, licet inter barbaros, et naturaliquadam armatos feritate, annos viginti octo feliciter et prudenter gubernavit. Superborum colla justitiæ censura perdomuit; arguendo, obsecrando, increpando, **1385-1386** dissidentia pacificavit. Tandemque longævo confectus senio, plenus dierum in sancta professione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressus itaque viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentens, onere pontificali deposito, sanctissimi Benedicti habitum humilitatemque suscepit, monachumque professus, Beato Albino se tradidit; ac sic exoneratus, pauperem Christum pauper ipse secutus est; ante quem ut Martha sollicitus erat, et occupatus erga plurima, nunc, velut altera Maria, unum esse necessarium recognoscens, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. »

Tam authentico Marbodi virtutum testimonio, non abs re fuerit attexere quod de illo posteritati consignavit Epicedium Ulgerius, ejus suppar, et in archidiaconatu Andegavensi successor, et tandem Andegavensis episcopus, qui vivum viderat, et ejus mores optime noverat, qui et illud tumulo ejus appendit. Sic autem tam in edito Redonensi quam in pluribus mss. insignitur:

VERSUS MAGISRI ULGERII ANDEGAVENSIS EPISCOPI.

*Si quis quantus erat Marbodus noscere quærat,*

*Postulat hoc quod ego dicere posse nego.*

*In toto mundo non invenitur eundo,*

*Unus compar ei nominis atque rei.*

*Omnes facundos sibi vidimus esse secundos:*

*Nullus in ingenio par nec in eloquio.*

*Cessit ei Cicero, cessit Maro junctus Homero:*

*Ut dicam breviter, vicit eos pariter.*

*Per cunctas metas per quas sua se tulit ætas,*

*Nulla sibi placuit res nisi quæ decuit.*

*Curans ut fieret virtutem quod redoleret,*

*Transtulit huc studium, transtulit ingenium.*

*Illi sic noto dedit eis, sed sine voto,*

*Christi judicium pontificum solum.*

(54) E chartulario Sancti Mauricii, fol. 34 et 36, et ex eodem fol. 43.

(55) Ex archivo S. Albini Andegav. et ex exemplari anni 1524 Redonis excuso, jussu Yvoak Redonensis episcopi, quod asservatur in bibliotheca collegii Mazarinæ.

*Hic p̄sul factus nolens licet, atque coactus,  
Effecit melius, quæ bene cuncta prius.  
Æqua mensura mensurans singula jura,  
Lenis erat placidis, et rigidus tumidis.  
Jugiter orabat, jejunabat, vigilabat;  
Quodque sibi minuit, pauperibus tribuit.  
Hic tam laudari dignus, tam dignus amari,  
Sorte cadens hominum, transit ad Dominum.  
Omnes personæ quæ sunt in religione,  
Igemuere nimis planctibus et lacrymis.  
Nobilitas flevit, nec plebs a fletu quævit:  
Tam gemit et plorat, quam bona commemorat.  
In cunctis annis nova mors erit ista Britannis,  
Quos vivens tenuit, quos aluit, docuit.  
Præcipue Rhedoni, propriique morte patroni,  
Est velut ægra jacens, factaque muta tacens.*

ITEM DE EODEM VERSUS EJUSDEM ULGERII.

*Marbodi vita doctrinæ luce perita,  
Enituit mundo sensu secunda profundo.  
Natus erat, quorum decus exstitit Andegavorum;  
Post Redonum turbis, et clero præfuit urbis.  
Dum studio vixit, quæ prosunt plurima dixit.  
Occidit antistes; facit hæc occasio tristes:  
Sed succurrat ei Deus, et sociis requirit.*

**1287-1308** Hujus autem sancti præsulis (ut ipsissimis utar doctissimi Sirmundi verbis in no'is ad epist. 14. l. III Epistolarum Gosfridi Vindoc.) egregias virtutes præter Ulgerium his versibus complexus est Rivallanus archidiaconus Redonensis.

*Reddidit ingenium sapientem, lingua disertum,  
Mens memorem, vigilem sollicitudo gregis,  
Ætas longa senem, jucundum gratia moris,  
Ordo pontificem, religioque sacrum,  
Sobrietas paucum sibi, munificentia largum  
Pauperibus, rectum regula justitiæ.  
Hic basis Ecclesiæ pondus portabat, et idem  
Mansuetudine bos, et feritate leo.*

Non igitur mirum si ad ultimam horum elogiorum coronidem accesserit gloriosissimum illustrissimi præsulis Tullensis, D. D. Andrææ Du Saussay testimonium, qui Marbodum nostrum sacris Galliæ fastis inferre non dubitavit. Sic enim ille in Martyrologio suo Gallicano;

TERTIO IDUS SEPTEMBRIS (seu die 11 Sept.), REDONIS IN ARMORICA SANCTI MARBODI EPISCOPI ET CONFESSORIS. QUI SERIE HAC IN CATHEDRA DUODECIMUS, DUODECIM APOSTOLORUM AGNI NOMINA, TANQUAM VIVUS LAPIS VIRTUTUM EORUMDEM EXIMIA IMITATIONE SIBI DIVINITUS INDITA GESSIT: UNDE IN SUPERNAM SION EJECTUS, LAPIDICUS PRETIO-IS QUIBUS ILLA RUTILAT ANNOMERATUS EST.

Ita non in notis, sed in ipso corpore Martyrologii.

Pluribus hanc præfationem non inflabimus, cæteros Marbodi præclaros actus, prout sese ex ejus opusculis offeret occasio, narraturi.

## MARBODI REDONENSIS EPISCOPI EPISTOLÆ.

### EPISTOLA PRIMA.

*Querelarum plena est epistola, sed justarum. Marbodus Redonensis episcopus Romam profectus, Raynaldi confirmandi Andegavensis episcopi gratia, delatione quorundam, spoliatur interim ab eo cujus negotium gerebat, omnibus ecclesiasticis bonis, et præterea exsul pronuntiatur; quod factum ab ingrato merito sibi contigisse ait, eo quod contra fas piæque, præter metropolitani sententiam, et suam ipsius conscientiam, levissimum juvenem promovendum ad episcopatum satagisset, quem tandem ad respicientiam et moderatiorem vitæ statum hortatur.*

MARBODUS minimus episcoporum, R (56) glorioso (58) A1. *Fulmen et flumine*, sed mendose; recte enim dicitur *fulmine affatus*, non *flumine*.

A Andegavorum pontifici; non alta sperare, sed humilibus consentire.

Fulmen (57) est, secundum cujusdam sapientis sententiam, ubi cum potestate habitat iracundia. Quamvis ergo periculosum mihi fore intelligam (utpote hoc fulmine jam affatus) si paulo liberius te convenire tentavero, loquar tamen quod mens mihi, ratioque dictaverit; nec tanti faciam faventis 1309 tibi nunc fortunæ terrorem, ut mecum justitiæ facientis non asseram veritatem. Vitrea est enim fortuna, quæ sic splendet, ut facile

(57) R. Non alium designat, nisi Raynaldum de Martigné, episcopum Andegavensem, cujus ele-